



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Geistliche Hauß-Bibliothec

Das ist/ Kurtze vnnd heylsame Tractätlein/ in welchem die fürnemmere Lehren/ die zu Unterweisung einer Christlichen Seel/ vnd Befürderung jhres Heyls/ vnd Trosts vonnöthen seynd/ begriffen werden

**Lohner, Tobias**

**München, 1684**

Admodum Reverendis, Spectabilibus, Doctissimis Dominis Decanis, Parochis, Alijsque animarum Curatoribus, Dominis Meis Colendissimis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44817**



ADMODUM REVERENDIS,  
SPECTABILIBUS, DOCTISSI-  
MIS

DOMINIS  
DECANIS,  
PAROCHIS,  
Alijsque animarum Cu-  
ratoribus,

DOMINIS MEIS COLENDISSIMIS:

**Q**uod Apostolis olim evenisse, S.  
Lucas c. 5. narrat, ut, scilicet, ob  
conclusam piscium multitudinem  
copiosam, annuere socijs atque ad  
laborem communem invitare eosdem cogeren-  
tur, hoc ipsum etiam vobis non raro contingere  
videtur, Adm, RR, DD. Pastores, dum & vos  
nempe

EPISTOLA

nempe tam multas sæpe animas curæ vestræ commissas obtinuistis, ut planè omnibus pro voluntate Zelóque vestro instruendis impares vos inveniatis, atque adeò & ipsi Socijs annuere, atque in eosdem parrem laboris transferre cogamini. Inter quos quidem Socios non tantùm Cooperatores vestri, sed Scriptores etiam, qui laboriosa variorum librorum elucubratione utilem Reipublicæ Christianæ operam præstiterunt, meritò numerantur, utpote quos constat, non minorem quandoque in animarum salute curanda fructum fecisse, quam multi quantumcunque facundis & eruditis suis concionibus retulerint. Atque ut alios innumeros taceam, quis unquam Concionatorum Auditores suos sive ad vitia detestanda, sive ad virtutes amplectendas tam efficaciter permovit, aut afflicta, desolatâque animas tam aptis, & consolatorijs sententijs recreavit, quàm solus Libellus de imitatione Christi à pijsimo Thoma Kempensi conscriptus? quidni ergo similes effectus & vos speretis, si similes Libellos quandoque vobis curæ vestræ commissis offeratis, aut suadeatis?

Eum certè in finem hanc Bibliothecam spirituales ex varijs tum à me olim compositis, typoque datis Libellis, tum aliorum etiam saluberrimis lucubrationibus collectam, eodem, quo alios olim Tractatus pro utilitate vestra conscriptos obtuleram, affectu, vobis dico, dedicoque, &

## DEDICATORIA.

& quidem tantò confidentiùs, quantò certius  
 mihi constar, quantà benevolentia priores meos  
 libellos exceperitis, quantòque firmiùs sperare  
 possum, non modicum fructum, solatiùmque  
 Parochianos vestros reportaturos, si doctrinas  
 hanc Bibliothecà comprehensas aut ipsi ore tenus  
 proposueritis, aut ex ipso libro legendas obtu-  
 leritis. Habetis enim in ea universalem in primis  
 Scholam, in qua quivis Christianus addiscere  
 queat, quomodo actiones suas quotidianas, in  
 quibus ritè obeundis juxta Ascetas, tota illius  
 perfectio consistit, supremæ regulæ, id est, vo-  
 luntati divinæ conformare queat. Habetis  
 compendium doctrinarum tum ad perficiendas  
 in virtute piarum animas, tum ad easdem à scrupulis  
 & dubijs, quibus vexari plerùmque non  
 non modicè solent, liberandas à peritissimis qui-  
 busque Ascetis præscriptarum. Habetis Tracta-  
 tum ad consolandas mentes afflictas aptissimum  
 ex solidissimis Thomæ Kempensis, & Ludovici  
 Blosij lucubrationibus excerptum. Habetis opu-  
 scula alia sive ad fiduciam in Christo crucifixo  
 firmiter collocandam: sive ad devotionem erga  
 SS. Dei Genitricem promovendam: sive ad Mi-  
 sericordiæ affectum tam erga vivos, quàm de-  
 functos copiosè demonstrandum: sive ad men-  
 tis tranquillitatem & malaciam inter quascun-  
 que adversitatum procellas retinendam: sive ad  
 mortis memoriam per salubria & ingeniosa Epi-  
 taphia

## EPISTOLA

sapientia assiduò renovandam: sive ad salutem,  
 quantum in hac mortali vita fas est, assecuran-  
 dam non modicos stimulos addentia. Habetis  
 motiva & modum tum vocationem, à qua tota  
 hominis salus dependet, inquirendi, tum ul-  
 timam suam voluntatem per Testamentum fru-  
 ctuosè declarandi. Habetis preces devotissi-  
 mas sive à sanis, sive ab infirmis magno cum  
 solatio fructuque usurpandas. Habetis varia  
 dictamina, suspiria & orationes ad moribun-  
 dorum confortationem ordinatas, ut, si ipsi sem-  
 per presentes esse non possitis, alij saltem simi-  
 libus libellis instructi vices vestras in animan-  
 dis moribundis fructuosè, dextrèque subire va-  
 leant. Habetis etiam pro ijs, qui contempla-  
 tioni asueverunt, Meditationes solidas à peri-  
 tissimis Magistris Spiritualibus relictas, &  
 sive octiduum integrum, sive per paucos  
 dies, sive etiam per unum aut alterum dunta-  
 xat quotidie quadrantem exercere se lubeat,  
 aptissimam materiam suggerentes; Ut adeò  
 nihil aliud superesse videatur, quàm ut Biblio-  
 thecam hanc sincerissimo affectu à me vobis de-  
 dicatam, eodem, quo Bibliothecam meam,  
 Concionatoriam manualementem hæcenus excep-  
 stis, affectu suscipiatis, atque ad eum finem,  
 pro quo adornata est, obtinendum sedulò usur-  
 petis, & tandem, cum bene vobis sub SS. Mis-  
 sa sacrificio fuerit, etiam meam meminere-  
 Inter-

DEDICATORIA.

Interea & ego vobis irriguum superius & inferius cum copiosis tam spiritualibus, quam temporalibus Manipulis ex animo voveo, precorque, maneoque, qualis semper esse studui, commodorum vestrorum promovendorum.

*Studiosissimus*

TOBIAS LOHNER,  
SOC. JESU.